

Doc. 4

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Doc. 4

[1234 maggio?]

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, universis scholaribus Bononie commorantibus, dilectis suis, gratiam suam et bonam voluntatem.

Imperii Romani solio dispensante Domino presidentes, etsi ad publica mundi negotia ex commisso nobis oneris et honoris officio debita sollicitudine teneamur, inter universales tamen reipublice curas, quibus imperialis sedes vehementius occupatur, non dedignamur ad specialia commoda singulorum nostre mentis aciem inclinare, ut, qui milites nostros arma scire volumus et non leges, velimus viros scientiarum et cuiuslibet professionis amicos, quorum eloquentia nostrum decorat imperium, nichilominus in ipsis nostro tam opere quam sermone proficere ac virtutis exquisite meritis et consilio militare, cum non minus gravitate quam strenuitate virorum imperii ac regnorum moderamina disponantur.

Statutum ergo olim studium apud Neapolim civitatem uberrimam et locum in regno nostro salubritate aeris et quibuslibet oportunitatibus preelectum cordi nobis est in integrum reformare. Cuius reformationi non dubitetis nos efficacem operam exhibere, cum in instanti per litteras nostras et nuntios doctores theologos ac utriusque iuris professores ac magistros quarumlibet artium liberalium ad incipiendum et fovendum quarumlibet professionum et scientiarum in eadem civitate gymnasium convocemus, libertatibus et immunitatibus universis necnon consuetudinibus scholaribus approbatis, iuxta priorem concessionem indultis, tam doctoribus quam docendis per documenta publica confirmatis. Itaque cuiuslibet professionis doctores in civitate predicta confidimus in kalendas

proximi venturi mensis septembris sine dilatione qualibet convenire, ut apto tempore ferventioris studii regimen prosequantur.

Cum igitur plerique vestrum ex predicti loci experientia non ignorent quanta singulis ibidem studendibus oportunitas famuletur quantave pacis opulentia et rerum copia universitas scholarium consueverit habundare, vel subprobatis doctoribus et facundis spes leta proficiendi quoslibet animare, universitatem vestram hilariter ad idem studium invitamus, prudentie vestre mandantes quatinus confidenter et unanimiter ad predictam civitatem, sub securitate et protectione nostri culminis, vos conferre curetis prevenientes tempore tam studio quam studentibus opportuno. Gratiam enim nostram favorabilem et benignam adventus inveniet singulorum, et propensiolem curam vestris profectibus impendemus. Cives insuper exercitio studii precedentis vestris quodammodo assuefactos moribus et conformes ad commoditates vestras benevolos habebitis et intentos, et sic dante Deo nichil in studio vobis deerit ad profectum, nec inquietari poterit vestra tranquillitas favoris nostri robore premunita.

2

Datum, etc.

Cfr. il doc. 5.